



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

xxiv [i.e. v]. Formale universalis est cognitio abstractiva & directa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

V. Formale universalis, seu cognitio, per quam fit universale, est abstractiva & directa, id est, repræsentans solummodò objectum, seu singularia in ordine ad prædicatum aliquod commune, non repræsentatis formaliter eorum singularitatibus; nam cognitio reflexa & comparativa, quæ prædicatum illud commune, seu naturam jam factam vi præcedentis cognitionis communem, & superiorem comparat cum individuis seu inferioribus, non facit primò universale, seu unum aptum inesse &c. sed universale factum cognoscit & confert cum suis inferioribus, sive repræsentat quasi positivè & in actu signato unum extrinsecè, quod per cognitionè directam repræsentabatur unum quasi præcisivè & negativè, & in actu ^{exercito} signato, in quantum repræsentabantur multa non repræsentat à clarè multitudine. Unde aliud longè est, per cognitionem reflexam fieri universale, aliud per illam cognosci universale factum, quod secundum vult Arist: inquiens: universale non cognosci, nisi per inductionem, quæ est comparatio, & quæ nisi intercurrat, non scietur, quale universale factum sit, an genus an species, an species subjicibilis, an præ-

prædicabilis, aliud item universale esse, & fieri quid relativum (saltem secundum dici) sive unum respiciens multa; aliud, universale cognosci, esse quid relativum, cognosci ut respiciens multa, ut prædicabile de multis, quod posterius non fit nisi per actum comparativum. Si tamen per universale intelligatur non tantum ex se, sed & ex parte intellectus proximè aptum prædicari, ad illud constituendum requiritur actus reflexus, naturam abstractam comparans cum inferioribus; ad hoc enim, ut natura prædicetur de inferioribus, appareatque ratio identitatis prædicatum inter & subjectum, opus est, ut natura reflexè comparetur ad inferiora, videaturque, an illis conveniat, & num hæc sub ea contineantur.

VI. Hæc cognitio formativa universalis non tantum est apprehensio, sed & iudicium, & discursus; etsi enim certum sit, naturam primò fieri universalem per apprehensionem quâ multa similia apprehenduntur per modum unius, adeoque quando universale actu prædicatur, non fiat primò universale, sed factum supponatur per præviam apprehensionem; bene tamen etiam dicitur, fieri